



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.
Canonum Ordinarii Professoris**

Laymann, Paul

Dilingæ, 1666

Capitvlvm Vnicvm eod. Tit. in 6. Absolutio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62559](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62559)

CAPITVLVM VNICVM

cod. Tit. in 6.

Absolutio.

PARAPHRASIS.

Si absolutio, aut reuocatio excommunicationis, suspensionis, aut interdicti per vim, aut metum iniuste extorta sit, huius constitutionis auctoritate irrita censi debet. Et qui ita extorquet, ipso facto excommunicationem incurrit.

SUMMARIVM.

1. Excommunicatus vnâ excommunicatione iterum ex alia causa excommunicari potest.
2. Si sententia censura fuerit inualide lata, non est locus huic constitutioni.
3. Locus autem ei est etiam in casu, quo quis absolutioem à minore excommunicatione per vim extorquet.

NOTANDVM I. Iste est casus specialis, in quo acta per metum (intellige grauem, secundum Gl. hic communiter receptam, Suarez de censur. disp. 23. sect. 4. num. 11. contra Caiet. in summa ver. excommun. cap. 41.) ipso iure irrita sunt, cum alioquin acta per metum rescindi debeant. Ita Gl. hic communiter recepta, ver. absolutioem beneficium, Suarez de censur. disp. 7. sect. 6. n. 13.

NOTANDVM II. Excommunicatus

vnâ excommunicatione, iterum ex alia causa excommunicari potest. Ita colligitur ex hoc c. & tradit Gl. hic, ver. excommunicationis, Gl. in c. vlt. causa 3. q. 4. ver. anathemate.

QVÆRITVR primò; Quid significetur per reuocationem excommunicationis metu extortam. Resp. Hoc verbum videtur esse adiectum contra illos, qui se iniuste excommunicatos, suspensos, aut interdictos esse contendunt, & ideo vi extorquent à suis excommunicatoribus, &c. vt sententiam suam, tanquam perperam latam reuocent.

Cæterum, si sententia censuræ inualide lata fuisset, & non tantum iniuste, tum non videtur esse locus huic constitutioni, sicuti bene docet Suarez cit. sect. 4. n. 12. Cum enim ea pœnalis sit, intelligi debet secundum effectum; si videl. aliquis per vim extorquet censuræ alicuius absolutioem, aut reuocationem. Si autem inualida, seu nulla censura sit, tum non extorquetur absolutio, aut reuocatio alicuius censuræ.

QVÆRITVR secundò: Vtrum constitutio hæc locum habeat, si quis absolutioem à minore excommunicatione per vim extorqueat. Affirmandum est cum Geminiano in fine huius c. Suarez cit. disp. 7. sect. 6. n. 13. qui ait esse communem sententiam. Apparet enim propositum fuisse Pontifice extorsionem cuiuscunque absolutioem, aut reuocationis censuræ irritam, & pœnæ canonicæ obnoxiam reddere. Accedit, quod hæc constitutio potius fauorabilis, quam odiosa sit; ideoque potius amplianda; cum principaliter attendat ad defensionem potestatis Ecclesiasticæ contra iniquos violatores.

